

4647 / Admodum Illustris, et Reverendissime Domine. Accepi per Reverendum Patrem Ruffum Ordinis S. Augustini literas Amplitudinis Vestrae, cum libello supplici et duobus libellis, altero de Officiis propriis, altero de Missis propriis Ecclesiae Arelatensis: et continuo egi cum Illustrissimis, et Reverendissimis Dominis Cardinalibus Collegis meis Congregationis Sacrorum rituum de toto negotio. Sacra Congregatio, omnibus auditis, jussit, ut ego scriberem Reverendissimae D. Vestrae haec quae sequuntur. Primum non solere Congregationem approbare officia propria, exceptis lectionibus secundi nocturni. Approbata sunt quidem aliquando officia propria etiam quo ad antiphonas, hymnos, orationes, responsoria, et alia: sed quoniam nimis multiplicantur ejusmodi officia propria, decrevit congregatio deinceps non approbare, nisi lectiones proprias secundi nocturni, quae sunt de vita, et rebus gestis sanctorum, de quibus tunc celebratur officium. Secundum, in lectionibus propriis secundi nocturni duo quaedam admonenda censuit sacra congregatio: nam reliqua placent. Unum est in lectione quarta de S/to Trophimo, ubi ponitur Melitae, pro Miletis. Scimus quidem Cardinalem Baronium pia memoriae ita censuisse emendandum locum Apostoli, ex posteriori ad Timotheum cap. ult/o, sed quoniam in omnibus codicibus latinis, et graecis legimus Miletis, non videtur tutum mutare textum Apostoli. Alterum, in Officio sanctae Mariae Salome, ubi videtur non debere poni nomen Mariae. Mater enim S. S. Jacobi, et Joannis, quae et uxor erat Zebedaei, nusquam in evangelio dicitur Maria Salome, sed simpliciter Salome. 3/um. Non probat sacra congregatio, quod de sancto Trophimo legatur officium, vel Missa de Apostolis, sed legi debere sensit de confessore et Pontifice. Officium enim et Missa de Apostolis propria sunt eorum, qui simpliciter Apostoli fuerunt, non communia iis, qui fuerunt Apostoli unius civitatis, vel provinciae. 4/um. Eadem congregatio non probat, quod de Translatione S/ti Trophimi fiat octava: satis enim esse judicat, si fiat officium uno die tantum de

/ translatione. 5/um. Missas proprias sacra Congregatio concedere non solet, excepta oratione, quae sumitur ex officio. 6/um. In commemorationibus communibus, quae leguntur ad Vesperas, et ad Laudes, sacra Congregatio censuit sanctum Stephanum Protomartyrem anteponendum esse sancto Trophimo Confessori, et Pontifici, quoniam satis aperte id statuit regula Breviarii de commemorationibus communibus, seu suffragiis sanctorum, in quibus ordo sumitur a dignitate personae: certum enim est majorem esse dignitatem Martyrum, quam confessorum, et praecipue sancti Protomartyris, quem Ecclesia universa honorat non solum officio duplici, sed etiam octava, et festo solemni. Ad id vero quod dicitur ex adverso, ab annis plus centum sanctum Trophimum apud Arelatensem Ecclesiam antepositum fuisse sancto Stephano; respondetur, abusum potius fuisse, quam legitimam consuetudinem illam, quae contraria erat consuetudini priori antiquissimae, mille fortasse annorum. Haec sunt, quae nomine sacrae congregationis respondere debui Reverendissimae Amplitudini Vestrae, cui precor a Deo omnia prospera, atque felicia in hoc saeculo, et in futuro. Datum Romae die 29 Maii 1614.

Admodum illustris et R/mae D.V.

20

Addictissimus